



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Inquisitio in Gallijs ob haereticorum crudelitatem, eiusque necessitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

damnatur. Iuratus, non tamen statim absolvitur, sed in finis quaestionibus, de patria, amicis, &c. urgetur. Vbi nihil fateri eum Iudices volent (qui enim bene instructi sunt, numquam seipos accusant, nec prius loquuntur quam ea quorū accusantur intellexerint) tum accusationem ei aperiunt, testium tamen aut delatorum nomina reticent, de quibus divinare magis ex privatis inimicitis quam certi aliquid scire licet. Inde Procuratorem seu Advocatum sibi eligit, qui ab eo informatus, ad singula respondeat: quod melius est quam si e vestigio respondere cogatur.

Duo testes fide digni atque irreprehensibiles, ad rei damnationem sufficiunt, non tamen semper, praesertim si de capite agatur: prator vero, apud quem captivi aservantur, solus sufficit; unus tamen testis ad torturam non sufficit, nisi certas conjecturas aut alias graves habeat rationes. Postquam diebus aliquot reus de testibus seu delatoribus conjecturam fecerit, productus Inquisitores interrogat: num ab his vel illis inimicis scilicet suis, sit delatus. Quamvis autem testium nomina divinare aut scire non possit, aliis tamen rationibus purgare se potest, nimirum si probaverit se cum Ecclesiasticis habuisse amicitiam, observasse praecepta Ecclesiae, dies festos, jejunia, Missas audisse, &c. cetera quae haeretici impugnant, obiisse. Ad haec producenda novem dies integri reo conceduntur. Exploratis omnibus, Inquisitores, qui sunt Ecclesiastici ordinis & Theologi, de fide responsa examinant: quibus si innocentiam illi suam sufficienter probaverit, absolvitur, non tamen sine dura aliqua poenitentia, si metus aut suspicionis causa adhuc subsistat; si quoque in carcerem ducitur donec de fide eius plene cognoscatur. Quod si ex ore eius nulla probatio excorqueri possit quae vel ad condemnationem vel absolutionem sufficiat, tortura res agitur, quae in Hispania fideiculis tantum fit aut aqua, etiam quodcumque ob delictum. Sed & supplicia ibi non tam atrocitas sunt, ut in Germania, Gallia, & Italia. Haeretici igne puniuntur. Cetera suppliciorum genera quae rota, corporum dissectionibus in quatuor partes, eorumque distractionibus, &c. fiunt, Hispaniae ignota sunt. Ad incutiendum vero terrorem, reus cum vicario suo in locum subterraneū, horroris plenum ducitur, ubi iam ante Iudices consederunt. Interim carnifex nigro habitu ac tecta facie, spiritus infernalis specie, ei occurrit, & ad Iudices abripit: qui precibus & minis ab eo contendunt, ut ultronea confessione tormentorum dolores redimat. Nihil fateri volentem, Iudices carnifici torquendum tradunt. Si quaestione hac quoque nihil ab eo exprimat, infinita alia artes illaqueandi hominem adhibentur. Subor-

nantur qui haeresis causa se quoque captivos simulant & familiariter cum ipso conversantes, omnia eius dicta & facta observant. Vbi certis argumentis reus haereseos convictus fuerit, igni adjudicatur: sicque flava tunica, in qua diabolorum horribiles species pictae sunt, (id genus vestis Sambenit vocant) induitur, & pileo ad turricula instar, in quo homo ardens, & diabolus capiti eius insidens, ita dem pictus cernitur, ad supplicium educitur, epistomio prius ori inserto, ne ad populum loqui possit, si obstinatus maneat; si vero confessus fuerit & ante sententiam de se latam, poenitentiam egerit, incredibili omnium gaudio, poena expiandis ipsius delictis imposita excipitur. An ulla justior aut lenior haeresin, quae tantopere Mundum afflixit, coercendi ratio excogitari possit? Quod si quis institutum hoc cum iis legibus quas haeretici in locis imperio suo subiectis de religione tulerunt, comparaverit, Inquisitio multo illis tolerabilior videbitur. Id si cui dubium est, videat, quæso, quam multa crudeliter passim ac nefarie haecenus, ac praecipue quam primum emergere coepit haeresis, patrarint. Quot rapinae, quot caedes ab ipsis sine ulla inquisitione, sine ulla iudicii forma designatae sunt: ut ipsis Arabibus & Mauris deteriores merito videri debeant. Quid quod solum sacerdotis nomen in multis iusta supplicii causa visa fuit? quod ipso Christo Domino nostro sacerdote in aeternum, haud dubie clam supplicio iidem persequuntur.

V. Inquisitio porro ejusmodi ob justitiam Franciae ita placuit, ut ipso effectu ab ea fuerit recepta. Et quidem Edictum illud Romorantinum, à privato Regis Consilio omnibusque Franciae Parliamentis approbatum, haeretici Hispanicam Inquisitionem nominarunt, ut in quo de haeresi quaestio ad praelatos tantum & Ecclesiasticos remittitur, omni de ea cognoscendi potestate saecularibus Iudicibus adempta; & omnes alterius quam Catholicæ religionis exercendæ causa instituti Conventus, laesa Majestatis crimine condemnantur. Sic enim Edictum habet:

Ut vero secreta ejusmodi conjurationes in lucem protrahantur, mandamus sub iisdem poenis ut omnes qui quoquo modo coacti fuerint aut consenserint, statim rem omnem Iudicibus aperiant, & reorum sive complicitum nomina deferant: quo in casu bona fide & sub verbo regio impunitatem reis, non reus vero, quingentas libellas Turonenses, è damnatorum bonis confiscatis ante omnia solvendas, promittimus. Omnes etiam Pradicantes, qui à Praelatis aut iis qui eius rei potesta-

rem habent, non ordinati fuerint; itemque omnes libellorum famosorum & aliorum scriptorum quæ ad nulum alium finem, quam ad seditionem spectant, auctores; tum impressores, venditores, & quicumque eiusmodi libellos & scripta disseminaverint; declaramus & haberi volumus pro rebellibus, nostris & publica quiete inimicis, ac reis criminis læsæ Majestatis, eosque iisdem pœnis quibus seditiosos & clandestinorum conventiculorum auctores, supra dicto modo ab iisdem Iudicibus puniri iubemus. Ne vero Edicto hoc nostro quisquam per malitiam ad calumniam abutatur: volumus & mandamus ut omnes calumniatores, & qui falso aut malitiose aliquem detulerint, iisdem pœnis afficiantur, quibus reiperacti erant afficiendi.

Quod si Edictum hoc quam sancte conceptum & promulgatum, tam strenue exsequutioni demandatum fuisset, tot tantisque malis ac miseriis Francia numquam esset involuta. Rigidum quibusdam visum fuit, at profecto, si tempora ista consideremus, asperioribus etiam remediis erat opus. Nul- lum unquam sæculum atheismi aut hæresion, ex Calvinistica novatione exortarum, fuit feracius. Quamvis autem omnia quæ hac de re dici possunt, vel enumerare admodum difficile sit, pauca tamen, velut exempli causa, indicabo. Promulgato, uti diximus, regio Edicto, ne quis hæreticus in Francia publicas conciones haberet, Rector quidam Collegii Rothomagensis, quatuor linguarum peritia se jactans, in vetitum nitens, & Regiæ Curiarum auctoritati medium quasi ostendens digitum, suggestum cõscendit, ac conciones habuit, magna accurrente Hugonotarum multitudine; quamvis Anabaptista esset, dicens inter alia, *Propinquam Antichristi ruinam divinitus sibi esse revelatam: à Deo se electum ducem, ut ipsius voluntatem exsequeretur: specialiter sibi à Deo mandatam esse, ut omnes malos Principes ac magistratus interficiat; promissumque, non prius moriturum, quam novus sit & ab omni peccato purgatus ac purus. Mundus constitutus.* Idem Prophetam se simulabat, & vaticinaturus, tamquam ad tripodem Apollinis se prosternens, horribiles gestus e debat. Certiores hac de re facti curiæ Iudices, hominem comprehendi jusserunt: verum is præfecti, qui Calvinista erat, operta ex urbe evasit ruri tamen ab agricolis agnitus, & in carcerem traditus, actandem unà cum duobus cognatis, ad ignem damnatus fuit. Sed illi spectato miseri hominis vivi combusti supplicio, hæresin ejurarunt, ac pœnitentiam egerunt. Dicit vix potest, quam multi libelli à furiosis hominibus scripti undique pro-

dierint, quibus Regia auctoritas turpiter peccibus proculcatur, & optimi quoque Principes ut tyranni Nerone ac Domitiano crudeliores diffamantur. Quam tu mercedem hos meruisse putas? Qui vult, legat Calvini eo tempore scripta edita: nulla pagina occurret quæ non injuriosis contra Principum auctoritatem, contumeliosis ac seditiosis vocibus plena sit. Quid Ambrosiana illa contra Franciscum II. Regem conjuratio? quam pœnam meretur? Tum Quid Guiteriana illa contra Carolum IX; Quid Hugonotarum cum Turcis confederatio Basileæ conclusa? ubi Beza, Mallotus, Viretus, Segurius, Clemens, Rentius, Damursius & alii præfentes fuerunt. Quid de cædibus dicam innumeris per omnes totius Franciæ provincias commissis? Rupellæ triginta sacerdotis ferreis hamulis in turri speculatoria cæsi; & mox inde in aquam præcipitati sunt. Quis nescit apud Engolismenses, Petracorios, & alibi sepulchra aperta, & cadavera in quibus parum adhuc carnis restabat, pugionibus confossa? Anne hæreticæ crudelitatis sufficientia sunt testimonia & argumenta, puteus Nemaufensis, cædes Fumellana, inhumanum genere quidem nobilissimi, sed flagitiis multo nobilioris factum, qui tanta cum infamia in femina quadam, ad quam apud Petracorios diverterat, hospitalitatis jura violavit. Annon Monbriffonii Hugonotæ Catholicos ut se ipsos de turri præcipitarent, coegerunt? Fleaci iidem sacerdotum capitibus tamquam globis luserunt. In parochia Callenevillana hæretici Ludovicum Faiardum probatæ vitæ & doctrinæ sacerdotem nova forma degradarunt, immisiss in lebetem oleo ferventem ipsius manibus ac deinde oleo super caput atque in os infuso. Quid hac crudelitate magis barbarum atque inhumanum dici aut excogitari possit? Quod si tum in hoc regno uti in Hispania Inquisitio in usu fuisset, facile quum hæc, aliæque innumera scelera, tum illa mala quæ ob religionis dissidium misera Francia pertulit, præcavere potuissent, cujus honor tot tamque infamibus flagitiis valde fuit conspurcatus; tum suprema Regum auctoritas ab ipsis subditis pessumdata, ut qui ceu Furiis acti, suorum Principum cineres in ventum projicere non dubitarunt. O igitur jam felix, O beatum sæculum, quo nihil tale videtur vel auditur!

*Hanc tibi debemus, Rex Augustissime, pacem,
Cuius monstra manus compeccit omnia: munus
Hocce tuum est, quod iam voces, Hugonota, Papista
Deserunt. Omnes titulo censentur eodem*

*Am Civis. Peragit tutus sua sacra sacerdos:
Pastor tutus oves agit, & mare navita sulcat.
Nimirum hanc nobis peperit tua cura quietem:
Subque tua dextra tuti requiescimus umbra.*

VI. Sed in Hispaniam redeamus: in qua ad Inquisitionis tribunal non quæstiones tantum de hæresi, verum etiam blasphemiarum, & in Deum ac Sanctos contumeliosæ voces deferuntur. Sic Michael de Barro Navarræus & de Rege suo bene meritus, Ordinis S. Jacobi Commendator, quum aliquando *por vida de Dios*, id est, *per Dei vitam jurasset*, triginta & unum dies in compedes fuit coniectus. Quare quum apud Regem esset questus, Rex filium suum ipsi socium se additurum respondit qui catenarum pondus dimidiatum cum ipso ferret. Ita enim de se meritum esse, ut lubenter juvare ipsum velit: hac vero in re nullam aliam gratificandi rationem dispicere. Et conclave quidem carceris hic habuit aulæis ornatum, & cetera omnia non minus quam extra carcerem magnifica: compedes tamen ac catenas non minus duras ac graves quam de vulgo quis ferre cogebatur. Beza ut Imagines suas auctiores faceret, etiam Pontium Leonem admiscuit, tamquam gloriosum martyrem ad cælum usque laudibus efferens. Sed nihil hoc mirum. Ejusmodi hominibus liber ille plenus est: qui diaboli potius quam Dei sunt martyres. Pontius enim hic præter hæresis crimen, peccati quoque nefandi convictus, & ab Inquisitione damnatus fuit. Sed cur Beza non liceat eos laudibus ornare, quibus idem, quod ille cum amasio suo commisit, (ut ipse non dissimulat, & alibi nos indicavimus) peccatum placet? Habeat ergo suum sibi Pontium qui sub tali iisdem vitiis infami præfecto, optimo jure hæreseos signifer esse meretur. Sed idem Beza alium suis adnumerat, qui tamen suus non est. Cafallum dico, qui præceptor fuit Joannæ, Caroli V. Imperatoris filia, Joanni postea Lusitanæ Regi, Sebastiani patri nuptæ, ejusque infigne Xenodochium & monasterium Madriti ædificavit, in quod postea Maximiliani Imperatoris vidua, ejusdem Caroli V. filia, concessit. Sed de Cafallo res sic habet. Postquam suo ipsius testimonio hæreseos convictus, & ab Inquisitione ut vivus combureretur, damnatus esset, multi Hispaniæ magnates, ut vitæ ei gratiam faceret, apud Regem intercesserunt, spe facta fore ut hæresin ejuret ac detesteretur. Quibus Rex respondit, si filia quoque sua vel micam haberet hæreseos, eam se justitiæ ultro traditurum. Cafallus dæmonium se videns, boni angeli inspiratione monitus, de animæ

sua salute sollicitus esse, erroresque quos amplexus fuerat considerare cœpit. Cum docto ergo homine colloquutus, & tandem, quamvis doctissimus esset, erroris convictus, publice hæresin ejuravit, & remisso Novatorum doctrinæ nuncio, Catholicæ Ecclesiæ fidei se consignavit, & ad Romanæ Ecclesiæ unionem rediit. Hac victoria lætus Rex, supplicium homini leniri iussit: qui ad locum supplicii productus, *longam & doctam de conversione sua orationem ad populum habuit, ac protestatus est, se non ut Protestantem infidelem, sed fidelem ac bonum Catholicum, in fide Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ, extra quam salus non sit, moriturum.* Quam confessionem etiam mox sanguine suo obsignavit, glorioso triumpho in cælestem Beatorum sedem receptus. Hoc modo vitam Cafallus clausit, cum æterno hæreticorum opprobrio, qui impudenti sane mendaciis suis eum accensere non verentur, mentitis martyribus.

DE IIS QUÆ IMPERATOR FERDINANDUS post Caroli fratris discessum, ad Catholicam stabiliendam Ecclesiam egit.

CAPUT SEPTIMUM.

ARGUMENTUM.

- I. Lutherani à Colloquio VVormatiensi turpiter discedunt, inter se divisi & se mutuo damnantes.
- II. Miraculum Augusta Vindelicorum factum.
- III. Maximilianus Ferdinando Imperatori succedit.
- IV. Protestantes de auxilio contra Turcam sollicitat, qui tergi versantur.

I. FERDINANDUS quamvis ut Imperii, ita & studii fraterni in Ecclesia Catholica tuenda successor esset: tamen quum à Turca, qui Hungariam pæne totam jam pervaserat, externum bellum immineret, coactus est, ut Germaniæ statum talem, qualem à Carolo acceperat, conservaret, ad pacem domi constituendam omnem operam conferre. Itaque conventu imperii Ratisbonam indicto, qui ad finem Anni 1556. captus in sequentis anni ver protractus est, Protestantes Principes non semel interpellavit, ut in fœderis adversus Turcam societatem secum venirent, reliquiaque Hungariæ & Transilvaniæ conjunctis copiis defenderent. A quibus contra petiit, ut Religionis controversia decideretur, quoniam id à Consilio, ob incidentes bellorum motus, factum non esset. Imperator quem cautiorem jam

E fecerant